EPIGRAMMATA FUNEBRIA
IN
Placidum ex mortali vitâ
discessum,
DOCTI AC PRUDENTIA, MULTAQ; RERUM EXPERIENTIA PRÆSTANTIS VIRI, Dn. OTTHONIS RAMI, Scabini, ac inferioris Judicij Stetinensis quondam Asseſſoris & Senioris, benemeriti;

Scripta
Collegæ deſideratiſſimo
à
COLLEGIS.
Obijt 3. Junij h. 9. matut. Anno
M. DC. IX.

STETINI Typis Mylianis.

ETEOSTICHON,

VITAM ET OBITVM
DNI. OTTHONIS RHAMI,
SCABINATVS STETINI
quondam Senioris, complectens.

OCto SCabInatV; CVrsVs qVoqVè LVstra re-
(Censet
SeX, annIs trIbVs: En! RHAM CapIt astra
(SeneX.

PAUL ZACHARIAS
Scabinus.

EPIGRAMMA.

INgenij virtute ferax, toleransq́; laborũ,
Tandem, chare Senex, OTTO SCA-
(BINUS abis?
Ponis & exuvias post Cursus fata peracti,
Postmodò nunc Cœli munere clarus ovas?
Ludere non potuit tumido te Marte Sophista,
Invius aut adytis tollere nemo sacris.
Jam te recta fides cælesti sede locavit;
Res nostra at magnum Publica vulnus habet.
Tu Cælo vivas; curabit JOVA manentes
Terris. Dante DEO sors sua cuiq; venit!

M. ADAM Môesler Scabinus.

NÆNIA.

OMINE non absq; est! SENIOR quod Mysta THABERTUS,
Judicij SENIOR quod quoquè RAMUS obit.
Satq; quidem annorum, sat uterq; & vixit honorum,
Nuncq; agit ante suum lætus uterq; DEUM:
Sed quod uterq; horis fermè devixit eisdem,
Ominis haut certâ res caret illa fide.

EST gravis ira, caput tollens temploq; foroq;,
Estq; graves aliquis qui trahit ordo Senes.
Sive brevi majorem Ecclesia passa ruinam,
(Quod DEUS avertat) Publica resvè gemet.

ORARE est nostrum, quo cuncta instantia, nostro
Declinet capiti mitis JOVA, mala.
Interea THABOR clarescat monte THABERTUS,
RAMUS & Edenis ipse virescat agris.

HÆC volui, junctim vitali munere functis,
Carmina conjunctis versificare modis

Æger; Pro merito. Sed dum minus ipsa polita:
Ignoscant, mage quîs vena benigna fluit.
Non facit officium caput; At reddente JEHOVA
Vires ut posco, fors meliora dabo.

M. Balth. Setzer Scabinus.

EPICEDION.

Tu quoq; jam nostris, præfixo tempore, (terris,
Chare Senex, superi scandis ad astra (poli.
Vita tibi Christus, lumen vitale perenni
Lætitiâ, & lucrum Mors tibi sæva parit.
FELIX qui moritur Christi agnitione, quietâ
Ante DEum semper pace beatus ovat!

Jacobus Funcke Scabinus.

ALI-

ALIVD.

SUnt ſpatium raræ bis ſeptem luſtra ſenectæ,
Octo bis interdum tangere luſtra ſolet.
Quicquid id eſt, ſummam quod ſi quis fe-
(cerit omnem,
Si precioſa? dolor, cura, laborq; fuit.
Hic ſtatus eſt noſtræ, facieſq; miſerrima vitæ,
Quo brevior, minor eſt juſta querela mali.
Longior in multos ſi verò extenditur annos,
Majus & inde mali multiplicatur onus.
Teſtis es, OTTO ſenex, qui multa incommoda duræ
Senſiſti vitæ, damnaq; multa tuæ.
Cum verò jam nunc ſuperum ſis ſede receptus,
Vt meliore queas conditione frui:
Non equidem invideo, tanto ſed grator honori,
Dum vitæ æternæ commoda ſalvus habes.

Michael Francke Scabinus.

